WRIGHT (E. W.)

Dissertatio Medica inauguralis de Podagra. 1814

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENE PREFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS WELCHMAN WRIGHT,

ANGLUS.

D. VIII. Kal. Julias, horo locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE.

1814.

SUIS AMICIS,

EDVARDO WELCHMAN,

ET

EDVARDO GOATE,

ARMIGERIS,

ARTEM CHIRURGICAM EXERCENTIBUS

APUD KINETON,

IN COMITATU WARWICI,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C. QUE.

EDVARDUS WELCHMAN WRIGHT.

For Dr Turnbull with the authors compts. —

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PODAGRA.

PROŒMIUM.

STATUTIS solennibus academiae almae Edinburgensis omnem candidatum honorum in medicina summorum, dissertationem de aliquo morbo, vel re ad scientiam medicam pertinente, proferre exigentibus, nos horum honorum cupidissimi diffidentia quam maxima sequentem de podagra composuimus.

Hic morbus eorum est, quos homines ipsi, magna saltem ex parte, sua culpa ipsis adducunt, et quos hujus temporis victus luxuriosus et contra naturam augere multum adjuvat.

Podagra quoque morbus est ad cujus sanationem medicamenta parum valent, plerumque tamen vinci et vere quidem extingui possit, si homines secundum naturam vitam degere vellent.

Errores multos in hoc tentamine detegi posse non dubitandum est, neque revera aliter expectandum ; spero tamen eos quorum illud judicare sit, candore et lenitate assuetis scrutaturos.

HISTORIA MORBI.

Podagram saepissime morbum haereditarium parum dubium est. Sunt tamen qui alteram sententiam protulerunt, et podagram vel quemquem alium morbum, qui non ex conformatione corporis pendeat, a patre ad prolem descendere posse, denegarunt.

Sed cum in memoria revolverimus quam saepissime per secula multa hic morbus in eadem familia maneat, et etiam ubi causae ex-

citantes non potissimum admotae sunt, nihil vere rationis habeamus, quo nos sic putare inducamur.

Hic morbus ex multis causis, etiam sine ulla proclivitate haereditaria invadere potest; et quidem regimine et exercitatione idoneis proclivitas valida haereditaria vinci, vel saltem minui possit, et praecipue si haec juventute et sanitate, et priusquam morbus corpus invaserit, adhibita, et constanter persecuta fuerint. Homines plerumque huic morbo maxime obnoxii sunt; aliquando tamen, sed multo rarius, sexum muliebrem adoritur. Hoc ex aliqua parte de modo victus duos inter sexus diverso pendere videatur.

Istae feminae morbo maxime obnoxiae sunt, quibus robustus et plenus corporis habitus est, et quae ex parentibus anthriticis ortae sint.

Podagra quinetiam raro Eunuchos invadere fertur.

Podagra illos homines proprie videtur adoriri, qui corpora robusta, et capita magna habent, et quibus plenus corporis habitus est,

et illos qui vitam ignavam, luxuriosam et ebriosam degunt, vinique, aliusque potus meracioris magna copia usi sunt.

Contrà rarissime eos invadere solet, qui laborem, et exercitationem assidue coluerunt.

Morbus quoque iis infrequentissimus est, qui frugibus solis usi sunt, et nihil praeter aquam biberunt.

Podagra raro ante mediam aetatem invadit; quando tamen ubi proclivitas haereditaria valida adsit, et causae excitantes magnopere admotae sunt, etiam juventutem adoritur. Hic morbus diversis signis in hominibus diversis saepe apparet, nec vere faciem eandem, etiam cum temporibus eundem hominem diversis adoriatur, induere solet.

Definitio clarissimi Cullen est quae sequitur.

"Morbus haereditarius, oriens sine causa "externa evidente, sed prœeunte plerumque "ventriculi affectione insolita; pyrexia; do-"lor ad articulum, et plerumque pedis pollici, "et certe pedum et manuum juncturis, potis-

"simum infestus; per intervalla revertens "et saepe cum ventriculi, vel aliarum inter-"narum partium affectionibus alternans."

Podagrae quoque species quatuor notavit. Hae sunt

"Podagra regularis,
"——— atonica,
"——— retrograda,
"——— aberrans."

DEFINITIO PODAGRÆ REGULARIS.

"PODAGRA (regularis) cum inflammatione "artuum satis vehementi, per aliquot dies "perstante, et paulatim cum tumore, pruritu "et desquamatione partis, recedente."

Podagra plerumque subito invadit, et impetus saepissime primo circiter horam secundam, vel tertiam post mediam noctem observantur.

Paroxysmus plerumque dolore pedis pollicem, sed aliquando partem aliam pedis affi-

ciente, incipit. Hunc aliquid horroris, qui gradatim decedit, et calore aucto excipitur, praecedit. Dolor nunc magis vehemens fit, et multa inquietudine, pyrexia comitante, ad sequentem mediam noctem continuatur, quo tempore sudore plerumque erumpente, aegrotus fessus somno brevi frui permittitur.

Æger experrectus dolorem et febrem multum minui sentire, parte tamen affecta, rubicunda et tumida relicta, gaudet.

Per paucas noctes pyrexiae accessio plerumque tamen mitior, et doloris incrementum ingrediuntur; sed hi gradatim decrescunt, et post paucos dies pruritu molesto, et desquamatione partis abeunt.

Paroxysmus aliquando subito invadit, saepius tamen signa sequentia scilicet extremorum inferiorum torpor, sensu punctionis alternante, spasmus musculorum crurum frequens, et turgidae venae prœeunt. Halitus cutis pedum multum saepe diminuitur, praeterea aeger aliquamdiu ante paroxysmi incursionem plus minus dyspepsiae signis perturba-

tur—scilicet flatu, nausea, anorexia, &c. Torpor et languor plus minus per totum corpus adsunt. Æger quoque post podagrae paroxysmum sanitate meliori quam ante morbi ingressum frui dicitur. Certe se meliorem habere sentit, et sanitate firmiori potiri videtur; hoc tamen podagrae recessui magis forsan, quam effectibus ejus tribuendum est.

Sub initio morbi reditus ejus tantum post longa intervalla trium vel quatuor annorum accedant; si tamen causae morbi remotae, non sublatae, aut vitatae fuerint, impetus multo crebriores et vehementiores fiunt, et diutius permanent, donec tandem paroxysmis saepius ac saepius redeuntibus, aeger vix aut ne vix quidem doloris levamine fruitur.

Podagra primo invadens fere unum tantum pedem afficit, postea ambos invicem adoritur, et demum paroxysmis multo frequentius ingredientibus, idem pes haud raro bis in eodem paroxysmo afficitur. Ex pedibus etiam ad articulos alios, praecipue extremorum inferiorum, superiorumque vagatur.

Bini artus aliquando eodem tempore affici-untur, sed multo frequentius alter maxime cruciatur.

Inflammatio quoque ex artu alio ad alium vagatur, et hoc modo cruciatus aegri diutissime protrahantur.

Cum podagrae paroxysmi saepissime acciderint, dolorem plerumque mitiorem comitem habent, sed aegrotus nausea, anorexia, et aliis signis atoniae magis perturbatur. Juncturae etiam quae olim post paroxysmum ad vires suas, et lentorem pristinum reduci solebant, nunc insultibus morbi frequentioribus debiles et rigidae fiunt, et sic permanent.

In plerisque etiam materiae dejectio cretaceae in juncturarum superficie formatur, quae ubi primo deponitur, in fluoris statu existit, postea tamen arida et dura evadit.

Hos concretus ad articulorum lentorem et motum liberum abolendum juvare parum dubium sit. Plerique qui ad podagram per multos annos assueti sunt, renum calculo vehementissime saepe laborant. Hanc affectionem

nephriticam pariter ac podagram posteris tradere videntur.

Iidem liberi hominum qui podagra laborarunt saepe podagra et renum calculo invicem afficiuntur. Aliquando tamen alii ex eodem genere altero morbo tantum per vitam laborant.

Hoc sententia illustrissimi CULLEN plerumque ad filias parentum qui podagra laboraverunt, accidit, quibus proclivitas nephritica saepissime descendit, sed podagrae nil unquam experiuntur.

In quibusdem podagrae exemplis artuum inflammatio nunquam apparet, varia autem signa, praecipue ventriculi male se habentis, quae cum proclivitate ad morbum connectuntur, vel de ea pendere videntur, se ostendunt. Hoc in specie prima podagrae irregularis Doctoris CULLEN accidit, cujus definitio est.

" Podagra (atonica) cum ventriculi vel alius " partis internae atonia, et vel sine expectata " aut solita artuum inflammatione, vel cum " doloribus artuum lenibus tantum et fugaci-

" bus et cum dyspepsia, vel aliis atoniae symp-
" tomatis, subito saepe alternantibus."

In hac specie quamvis proclivitas ad morbum manifesta in corporis habitu adest, nulla tamen artuum inflammatio producitur, sed plurima dyspepsiae signa, et haec molestissima invadunt—scilicet flatus, anorexia, nausea, vomitus, alvus pertinaciter astricta, dolores in regione ventriculi, symptomatibus hypochondriasis et debilitate totius corporis comitata.

In plerisque casibus caput vertigine et signis apoplexiae instantis afficitur.

In aliis palpitatio, syncope, et asthma oriuntur.

Species secunda podagrae irregularis est podagra (retrograda), cujus definitio est quae sequitur.

" Podagra (retrograda) cum inflammatione
" artuum subito recedente, et ventriculi vel
" alius partis interna atonia mox insecuta."

Haec species producitur cum artuum inflammatio non per tempus solitum manens, et de-

mum gradatim recedens, subito cessat, et morbus ad aliquam partem internam transfertur.

Fere ad ventriculum transit et anxietatem, nauseam, vomitum, et frigoris sensum in epigastrio statim efficit.

Nunc cor invadit et syncopen producit, nunc pulmonem ubi spirandi difficultatem efficit, et aliquando caput adoritur, verisimiliterque apoplexiam et paralysin inducat.

Haud improbabile est magnam sanguinis derivationem caput versus saepissime adesse, homines enim ad podagram valde obnoxios morte subita non raro confici videmus.

Species tertia podagrae irregularis est Podagra (aberrans) quae his verbis definitur.

" Podagra (aberrans) cum partis internae
" inflammatione, vel non praegressa, vel prae-
" gressa et subito recedente, inflammatione
" artuum."

In hac specie podagrae irregularis loco artuum inflammationis, cujusvis partis internae inflammatio producitur; et eadem signa quae

legitimam inflammationem partis ejusdem indicant, ostendit. Haec species haud saepe occurrit, adeoque in paginis sequentibus praetermittemus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Harum duo genera sunt. Primi generis sunt quae plethoram inducant, et inde proclivitatem ad morbum augeant—scilicet vita sedentaria et ignava, diaeta plenior ex cibo animali lauto et stimulante, et vini, spirituum distillatorum, cerevisiae fortioris, aliusque potus fermentati, usus liberior.

Ad secundum genus pertinent, ea quae in habitu pleno, totum corpus, et ventriculum, et organa concoctioni inservientia debilitent, scilicet immodica venus, ebrietas, mala concoctio, studium nimium, exercitatio solita neglecta, usus frequentissimus acidorum et acescentium, et frigus extremis inferioribus admotum.

Praeter has causas debilitatem inducentes, aliae sunt quae in iis maxime ad morbum obnoxiis paroxysmum inducere possint—videlicet exercitatio violenta, saltatio, calcei nimis parvi, vel ocreae pressura, et laceratio aut contusio pedis vel tali.

DIAGNOSIS.

Podagra ex rheumatismo signis ventriculi male se habentis praecedentibus, distingui potest: praeterea quod podagrae inflammatio artus minores, rheumatismi majores afficit; dum impetus modo peculiari invadit, et febris inflammatoria podagram praecedens lentior videatur. Forsan etiam proclivitas arthritica in corpore diagnosin juvabit.

PROGNOSIS.

Podagra, si ventriculum vel alias partes vitales non invadit, haud saepe cum periculo conjungitur; tamen post longo tempore paroxysmis saepius ac saepius redeuntibus et diutius permanentibus, vitam aegri miserabilem facit, et ipsum saepe serius ocius absumit.

RATIO MEDENDI.

Multi podagram sanari posse negant, et revera medicamentis quorum effectus in habitum corporis omnino fugaces sint, haud dubio sanari non potest.

Victus regimine tamen et exercitatione, idoneis in prima aetate inceptis et assidue persecutis, causisque simul excitantibus evitatis, podagra non tantum levari, et ejus impetus morari et minui, sed etiam in iis quibus pro-

clivitas ad morbum permagna insit, ne invadat impedeatur, vel post unum paroxysmum sanari possit.

De ratione podagram medendi sub duobus capitibus agere liceat; imprimis de ea quae per paroxysmorum intervalla idonea sit; et secundo, de ea quae per paroxysmos ipsos necessaria sit.

Per intervalla paroxysmorum reditui occurrere, vel saltem illos minus frequentes et leniores reddere, conari oportet.

Hoc plethorae obviam eundo, et simul vires totius corporis laesos sustinendo, effici potest.

Plethorae et debilitati usu frugum satis nutrientium; et diaetae lacteae, evitando omne genus cibi aminalis, et pro potu communi, loco vini, spirituum stillatitiorum, cerevisiae fortioris, vel potus alias meracioris, aquam puram hauriendo, occurrendum est.

Corporis exercitatio maxima cura colenda est, et per totum vitae decursum persequenda

est. Haec exercitatio quidem assidua, sed citra fatigationem magnam esse debet.

His modis, prima aetate, et priusquam morbus saepius invaserit, inceptis, podagra etiam in iis qui maxime ad morbum proclives sint, sanari potest, ac etiam cum multi paroxysmi accederint, reditui eorum plerumque occurratur, vel saltem mitiores et minus frequentes fiunt. Forsan tamen iis qui aetate ingravescunt, et quibus corpora morbo infirmentur, quique cibi ex animalibus, vini spirituum stillatitiorum, et potuum meraciorum copia magna usui assueti fuerint, mutatio nimis subita ad diaetam tam contrariam cum periculo conjungeretur, et verisimiliter podagram atonicam produceret.

In his casibus igitur haec mutatio gradatim inducenda est, vel etiam usum modicum cibi animalis, levis, nutrientis, et facillimi concoctu et cerevisiae bonae mitioris semper permittere oporteat.

Exercitatio tamen etiam aegris hisce valde necessaria est; eam igitur aliis vel aliis modis sequi debent.

Ad occurrendum etiam podagrae paroxysmorum reditui, causae excitantes maxima cura fugiendae sunt.

Ut rationes supra recensitas ad debilitatem, plethoramque, et inde proclivitatem ad podagram cohibendum, et morbum sanandum, plerique aegroti non sine magno fastidio sequuntur, multa medicamenta ad podagram medendam, sine abstinentiae â cibo animali, exercitationis corporis assiduae, necessitate, proposita et adhibita sunt.

Plurima horum medicamentorum jactatorum omnino inertia sunt, et pleraque non parum perniciosa; omnia igitur jam meritissime ex medicorum aestimatione ceciderunt.

Horum medicamentorum celeberrimum Pulvis Portlandicus est. Aliquando forsan hoc remedium fausto cum eventu administratum est; in plurimis tamen casibus quibus per

tempus praescriptum adhibitum fuit, raro debilitatem totius corporis, et praecipue organorum concoctioni inservientium, et saepe apoplexiam, asthma et hydropem inducere defecit.

Observatu vix necessare est alvi duritiem, nimirum quae dyspepsiam et plethoram inducat, usu laxantium, amovendam esse.

Methodus medendi in podagrae regularis ipso paroxysmo simplicissimus est.

Omne irritationis genus evitari oportet, et regimen antiphlogisticum praeter frigoris adhibitionem ad partem affectam accurate implendum est.

Detractio sanguinis generalis raro necessaria est, et in multis casibus cum periculo conjungitur; in aegroto juveni tamen, cui plenus corporis habitus est, et ubi multum diathesis phlogisticae adsit, missio sanguinis â brachio saepissime necessaria et utilis, nimirum quae paroxysmum mitiorem et breviorem facere adjuvat, esse videtur.

Fertur hirudines quoque parti affectae applicatas utiles repertas esse; illis autem raro opus est.

Cataplasmata emollientia et balneum tepidum aliquando non tantum sine ullo periculo, sed etiam aliquo levamine usurpata sunt; haud raro tamen morbi retrocessum producere visa sunt.

Aqua gelida, et applicationes frigidae â paucis medicis adhibitae et multum laudatae sunt; sed in plurimis casibus non solum magnum incommodum, sed etiam periculum socia habent.

Epispastica parti affectae admota quoque usurpata sunt, sed haec etiam podagram retrogradam producere solent.

Opiata in paroxysmi initio haud multo levamine adhibeantur; cum autem signa minus violentia evaderint, certe auxilio ad dolorem sopiendum, somnumque conciliandum dari possunt, et praecipue iis aegrotis qui diutissime morbo laboraverunt.

Alvus per totum paroxysmum usu catharticorum leniorum soluta servari debet.

Artuum rigiditas et tumor, qui plerumque post paroxysmum manere solent, frictione cum strigile, et exercitatione modica amovendi sunt.

Per totum podagrae paroxysmum artus affecti panno laneo vestiri debent. Hoc saepissime tamen justo longius intentum est, et igitur haud raro artus ex panni lanei quantitate, magis dolore afficiuntur, et inflammatio augetur. Tantum modo adhiberi debet, quantum ad praecavendum ab ullis frigoris malis effectibus sufficiat.

Ubi paroxysmus decesserit, temperantia assidue colenda est, alvus moderate soluta cibo idoneo, vel si necessaria usu laxantium, servetur. Corporis vires reficiendae sunt, et morbi reditui, in intervallis rationes praepositas persequendo, occurrendum est.

Medicamentum Gallicum quod Eau Medicinale vocatur intra hos paucos annos, magnopere ad podagram sanandam, commendatum et usurpatum est. Catharticum fortissimum cum anodino conjunctum, esse videtur.

In plerisque exemplis levamen magnum tulisse fertur, nunc non adeo frequenter, quam nuper adhibetur; licet enim paroxysmum sublevare soleret, proclivitatem corporis ad morbum augere visum est.

METHODUS MEDENDI PODAGRÆ ATONICÆ.

In hac specie vires ventriculi reficere, et totius corporis vigorem revocare, indicationes sunt; et simul cum his symptomata molesta, sicuti cardialgiam, flatum, &c. quae oriantur levare. Ad instaurandas vires totius corporis, exercitatio, scilicet ambulatio sed non ad fatigationem provecta, et gestatio omnigena, praecipue equitatio, moneri debent.

Frigidarium quoque, si aeger impetum ferre valeat, multum proderit. Sin autem impetus frigidarii nimis validus sit, balneum tepidum primo usurpetur, et ejus calor gradatim redigatur. Hoc modo aegrotus brevi tempore

balnei frigidi temperiem solitam tollerare possit.

Portio parva levissimi et facillimi concoctu cibi animalis, ad vires corporis restaurandas forsitan pro auxilio permittatur.

Fruges minime ad acorem proclives usurpari debent.

Aliquando etiam paululum vini generosioris adhibere liceat; hoc tamen saepe vix necessarium est, et si ventriculi acorem inducat, sine dubio omittendum est.

Ad vires ventriculi reficiendas, tonica quaedam, Amara et Cinchona multum profuerunt; sed praecavendum est, ne haec diutius continuentur, quippe quae, pariter ac stimulantia omnigena, vires ventriculi, adeoque totius corporis, debilitent, et labefaciant.

Cinchona forsan minus quam amara simplicia haec mala efficere, saltem serius inducere videatur; itaque his praeferri debet.

Optima tamen omnium medicamentorum ad ventriculi vires reficiendas sunt ferri praeparata varia. Haec per longum tempus sine

periculo inducendi haec mala in ventriculo et toto corpore, quae amara tam proclivia producere sunt, continuari possunt.

Omnium ferri praeparatorum Carbonas Ferri, et Tinctura Muriatis Ferri, forsan optima sunt.

Ad flatum occurrendum, et tonum ventriculi sustinendum, aromatica aliquando, raro tamen, necessaria sunt. His quantitate quam minima, et maxima prudentia, nam ultimo perniciosissima evadunt, uti nos oportet.

Constipationi semper usu laxantium idoneorum pro re nata, et acori usu Magnesiae, Magnesiae Carbonatis, Potassae Carbonatis vel Sodae Carbonatis, obviam eundum est.

Si unquam ventriculus crudo et male concocto cibo gravatus sit, emeticum sine periculo, et etiam multo commodo adhibeatur.

Omnes qui Podagrae Atonicae maxime obnoxii sunt, â frigore et humiditate vestimentis temperiem aequabilem servare accommodatis, et praecipue inducii lanei usu, cavere oportet.

RATIO MEDENDI PODAGRÆ RETROGRADÆ.

Ubi haec species Podagrae irregularis ventriculum vel intestina invaserit, levamen quam citissime vini meracioris calidi usu, cum aromaticis conjuncti, quaerendum est.

His parum valentibus Spiritu stillatitio nos uti oportet.

In impetu morbi modico Solutio Gummi Resinae Ferulae Assaefoetidae cum Ammonia prodesse potest.

Opium saepe etiam multo commodo adhibetur, et vel aromaticis, vel camphora, vel ammonia conjungi potest. Moschus et Aether Sulphuricus quoque multo levamine saepe adhibiti sunt. Dum haec medicamenta interne adhibentur, pannos laneos calidos, fomenta, vel vesicam aquae ferventis plenam, ad regionem ventriculi applicari debent. Lateres ca-

lefacti quoque panno laneo involuti pedibus admovendi sunt.

Si nausea, vel vomitus invadet, vino primo aqua mixto, sed postea puro adhibito, levare conandum est.

Opiata saepissime utilissima ad vomitum cohibendum reperiuntur.

Si podagra ab extremis vagans caput affecerit, Apoplexiam, Paralysin, vel Vertiginem inducens, magnum vitae discrimen aderit.

In hoc statu Epispastica capiti et quoque extremis, si podagra ab iis penitus recesserit, applicanda sunt.

Simul cum his Aromatica et Stimulantia interne adhibeantur. Ubi podagra retrograda pulmonem adorta sit, et inde Asthma produxerit, Epispastica sterno et inter scapulas, et Cataplasmata Sinapeos pedum plantis admovenda sunt.

Opiata et Antispasmodica interne adhibere oportebit.

FINIS.